

Nondum.

Reverende ac Charissime vir, Frater ac Symonista in Christo honorande.
 Venit ad vos Consulis nostri Darentuensis filius, Henricus ter Borch,
 elegantis ingenij juvenis, discipulus Gronovij assiduus; qui postea
 quam apud cognatos suos in Batavia expectasset purgationem
 patriae urbis, per complurimas hebdomadas, sed frustra, nunc ad
 Leidensem Academiam, illiusque gloriam, adspicit. Petijt autem à me,
 egit, ut pariter tuam benevolentiam pro se sollicitarem. Id
 quod negare ipsi nec debui, nec potui, cum ob virtutem, quã
 à se omnibus statim innoteret, tum ob affinitatem, quã cum
 parentibus suis devinctus sum: qui quum sint et ipsi studiorum
 amantissimi, non ferent ingratitude sibi notam unquam inuri,
 si quid in hunc filium suum benevolentiae conferatur; præterquam
 quum habeant, unde compensare eam possint. Hæc de doctissimo
 juxta ac modestissimo juvene, cognato nostro: nunc ut et pauca
 de filio meo addam, fuit is hac æstate, Basilea, Genevæ, Hei-
 delbergæ, et in Helvetiæ locis præcipuis, ut experientiam sibi in
 illis locis aliqualem, studiis conjungendam, conciliaret. Disputavit
 Basilea, vicem professoris Theologiæ explens, respondente sub ipso
 Magistro quodam Gemusæo, et quidem de loco illo, Matt. 16.
 Tu es Petrus, &c. Disputationis filium, tum etiam respondendi
 promptitudo et felicitas, sic placuit D. Buxtorfio, ut scribat mihi,
 se cum omnium applausu, et sine exemplo, disputasse, felicemque
 me hoc filio, futurum, si vel ad professionem vel ad ministerium
 Ecclesiasticum admoveatur. Hæc ideo tibi scribo, quia tu ex præ-
 cipuis ipsius formatoribus fuisti, ut et mecum lateris, et in
 ejus promotionem, ubi redierit, invigiles. Redibit post nundinas
 Francofurtenses, cum mercatoribus nostris: et quia nunc his ferijs
 filia mea, Pastori ^{Pistorio} in agro Neomagensi elocata, adsum, forte
 vel hic vel Clivia ipsius adventum præstolabor, quum videatur
 Deus luem ab urbe nostra non tam citò amoturus. Deum
 precor, ut te cum tuis, nosque cum nostris, clementer conservet.
 Vale. Dabam Wichæ, altero ab urbe ^{Neomago} lapide, Anno Christi 1656.
 27. Augusti, St. veteri.

mmo honor. illic fuit,
 hic in actibus semper
 altati Theologica ad-
 sus, cum summo etiam
 quarum facultatum
 sensu. Hottingerus
 debergenis ipsum
 us honoravit, literisq;
 me scriptis collaudat:
 coram aliquando ipse
 Deo volente exponit.

R. Cl. Vestra

Addictissimus

Henricus a Diest
 871025

Uxor mea, ut et filia, mecum,
 te, cum uxore, ac liberis,
 peramanter salutant; rogantq;
 amicitiae nostrae memor vivas.

Reverendo, Carissimo, atq; Do-
ctissimo viro, Dr. Johanni Coccejo,
SS. Theologiae Doctori & Profes-
sori in florentissima ac celeberrima
Academia, quae est Augustini
Batavorum, Domino et amico suo
obsequanter scribendo.

Amica manu.

Leijden
Op. hayswickens, Martij 1671
Benijus Jof.

